

Dissertatio pathologica, de morbis internis capitis et thoracis, / proposita ab illustrissimo viro D. D. Antonio Deidier ... ; sub hac verborum serie. Morbos internos capitis & thoracis ad pathologiam referre. ; Quam deo savente & auspice dei-parâ, propugnabit in augustissimo Monspeliensis Apollinis Fano. Die mensis Maii, anno 1710. ab horâ octavâ ad meridianam, Josephus Bagnols... ; pro prima Apollinari Laurea consequendâ.

Contributors

Deidier, Antoine, -1746.
Bagnols, Joseph, active 1710.
Ecole de médecine de Montpellier.

Publication/Creation

Monspeli : Apud Honoratum Pech, Regis & universitatis typographum, 1710.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mfpaktfs>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

9
DISSERTATIO
PATHOLOGICA,
DE

MORBIS INTERNIS
CAPITIS ET THORACIS,
PROPOSITA

AB ILLUSTRISSIMO VIRO D. D.
ANTONIO DEIDIER

Regis Confiliario & Medico, nec-non in al-
mâ Monspeliensium Medicorum Academiâ
Chymix Professore Regio dignissimo.

SUB HAC VERBORUM SERIE.

*Morbos internos Capitis & Thoracis ad Patho-
logiam referre.*

Quam Deo favente & auspice Dei-parâ, pro-
pugnabit in Augustissimo Monspeliensis Apol-
linis Fano. Die mensis Maii, anno 1710.
ab horâ octavâ ad meridianam, JOSEPHUS
BAGNOLS Mazanensis Comitatus Avenio-
nensis, Artium liberalium Magister & jamdu-
dum Medicinæ Studiosus.

Pro primâ Apollinari Laureâ consequendâ.



MONSPELII,
Apud HONORATUM PÉCH, Regis & Uni-
versitatis Typographum. 1710.

DISSELTATIO

DE PETHOLOGIA

DE

MORBUS INTRINSECIS

CAPITULUM THORACIS

PRO OPORTUNA

ACUTISSIMA MORBO

ANTONIO DILLER

AVGVSTVS MDCCCLXXXVIII

AVGVSTVS MDCCCLXXXVIII

AVGVSTVS MDCCCLXXXVIII

AVGVSTVS MDCCCLXXXVIII

AVGVSTVS MDCCCLXXXVIII

AVGVSTVS MDCCCLXXXVIII

AVGVSTVS MDCCCLXXXVIII

AVGVSTVS MDCCCLXXXVIII

AVGVSTVS MDCCCLXXXVIII

AVGVSTVS MDCCCLXXXVIII

AVGVSTVS MDCCCLXXXVIII

AVGVSTVS MDCCCLXXXVIII

AVGVSTVS MDCCCLXXXVIII

AVGVSTVS MDCCCLXXXVIII

AVGVSTVS MDCCCLXXXVIII



DISSERTATIO

PATHOLOGICA

DE

Morbis internis Capitis & Thoracis.

CEREBRUM, cerebellum, ac medulla Spinalis unicum constituunt viscus, ex arteriis, venis, ac nervosis potissimum ductibus conflatum, quod dura & pia meninx investiunt. Per eos ductus nervosos secernuntur continenter spiritus. Iidem ductus inter se undequaque communicant, ideòque in se mutuò spiritus transfundunt. Et hinc dicuntur *Emporium*. Cum verò emittuntur à cerebro, cerebello, ac medullâ spinali, distribuuntur in plures fasciculos, ab utrâque meninge convestitos, & nervos faciunt qui per corpus disperguntur. Distinguantur ergò tales ductus nominibus *fibrillarum Emporii*, & *fibrillarum nervearum*; hæc cum nervos constituunt, illæ

Cij

antequàm à cerebro , cerebello , ac medullâ spinali emittantur. Non inter se communicant fibrillæ nerveæ , sed solæ Emporii fibrillæ.

ANIMA , humano corpori unita , nec à corpore afficitur , nec corpus afficit , nisi per fibrillarum Emporii vibrationes. Hæ verò non aliter vibrantur quàm per ipsas nervosarum fibrillarum vibrationes , aut per arteriarum adjacentium subsultus. Itaque , si fibrillarum nervearum vibrationes pervenerint ad fibrillas Emporii , sensus erit externus ; si fibrillas Emporii succusserint adjacentes arteriæ , internus erit sensus. Nec aliud præstant , quàm utrarumque fibrillarum tensionem , spiritus , quos neutiquàm movendis fibrillis pares arbitramur. Imò statui-mus , fibrillas ipsas motum suum impertiri spiritibus , eosque in sanguinem propellere. Hinc perpetuus spirituum circuitus , à cerebro per fibrillas nerveas in sanguinem , & à sanguine per arterias in fibrillas Emporii.

HÆC novisse oportuit , ut læsiones functionum animalium intelligantur. Functiones animales sunt *sensus* & *motus*. Hi abolentur , vel notabiliter imminuuntur , in Apoplexiâ , Caro , Epilepsiâ , Catalepsi , Comate , atque Lethargo. Depravantur , in Phrenitide , Maniâ , Melancholiâ , Vertigine , ac Dolore. Externi verò sensus & motus muscularis duntaxat , læduntur in Paralyfi , Tremore , morbis Convulsivis , & Hydrocephalo. De quibus singulis jam agendum.

APOPLEXIA , si definiatur ratione symptoma-

rum, subitanea erit sensûs motûsque voluntarii privatio, cùm laxitate membrorum. Si morbi ratione, morbus erit *Organicus* in eâ *Cerebri ac Cerebelli angustia*, ex quâ illicò imminuitur spirituum secretio, & ita laxantur fibrille utriusque generis, vibrationibus orbantur debitis, fiuntque ad sensum, motumque voluntarium impares, & corporis membra resolvuntur. Cùm fit angustia à rarefcente sanguine, tunc adest intemperies calida; à coagulato, frigida. Si spectetur angustia cum intemperie, *Apoplexia* est morbus *Communis*. *Idiopathica* est, cùm ipsum angustatur *Cerebrum* à depresso cranio, ab extravasato sanguine, ab abscessu, ab tumore interno *Cerebri*. *Sympathica* verò, cùm vitium à primarum viarum vitio ortum ducit. Omnis *Apoplexia* est morbus acutus. Fortis aut levis est. Hæc periculosissima, lethalis illa.

CARUS, ex symptomatis essentialiter stipantibus, somnus est præternaturalis, profundus, in quo tamen membra retrahit æger si pungatur, oculos aperit si inclametur, nec respondet, sed confestim ex puncturâ, ex inclinatione, altè sopitur. Morbus is est *Organicus*, in eâ *Cerebri angustia*, ex quâ nervi *Optici Aoustici*que non transmittunt nisi paucos spiritus, alii verò nervi debite transmittunt. Caro succedit interdum *Apoplexia*. Nec mirum, cùm causa quæ memoratos lædit nervos, possit facile in reliquos diffundi.

EPILEPSIA, Morbus sacer, *Comitialis*, *Sonticus*, *Herculeus*, *Caducus*, & *Puerilis*, vulgò

est subitaneus in terram prolapsus, cum totius corporis vel quarundam partium concussione, sensuumque abolitione aut saltem imminutione. Perfecta dicitur, cum sensus penitus abolentur, & membra fortiter convelluntur. Imperfecta, quam comitantur leves convulsiones, sensusque duntaxat imminutus. Definiatur verò, *Morbus Organicus, in eâ Cerebri angustia inaequali, ex quâ fit ut spiritus inordinatè fluant ad musculos.* Fit igitur Epilepsia ex inaequali ac disperso per Emporii fibrillas infartu. Estque modò Idiopathica, modò Sympathica, periodica semper vel erratica, interdum hæreditaria, sæpè adventitia, & frequens in pueris, unde Puerilis audit. Quæ natalibus propior, curabilis est. Quæ post annum 25. ferè nunquàm. Perfecta, in Apoplexiam Deuteropathicam interdum degenerat.

CATALEPSIS, iis stipatur symptomatis, ut definiatur apud Practicos, ea functionum animalium abolitio, in quâ ægrotantis membra per se quidem immota remanent in eodem statu in quo æger correptus est, sed, si ab adstantibus moveantur, quemlibet alium suscipiunt situm, retinentque. Dicatur verò, *intemperies frigida & humida Emporii, ex quâ sola illius fibrilla præter naturam laxantur.* Abolitio sensûs & motus voluntarii, ex vibratione fibrillarum Emporii nullâ; motûs coacti obsequium, ex procreato ab externâ movente causâ spirituum influxu. Et impertitus retinetur situs, ob sensûs dolorifici defectum, & quòd postremus ille situs nullâ

novâ immutetur causâ. Causa hujusce morbi, serosa illuvies est, eaque intra ipsum Emporium collecta. Rarus admodum hic est affectus, observatus tamen fuit paucis ab hinc annis semel & iterum in Nosocomio Monspeliensi, dieque Maii 4^o anni 1710^o ibidem observatur. Nec semel dicti sunt Cataleptici, qui verè Apoplectici vel Epileptici fuerunt. In Apoplecticis dimota membra ut pote laxa recidunt, in Catalepsi inductum situm retinent. In Epilepticis resistunt membra, non obsequuntur; in Cataleptico obsequuntur facillimè. Catalepsis, periodica interdùm est, sique recurrat sæpiùs aut demùm fatuitatem inducit, aut morte terminatur. Hæc dicta sunt de Catalepsi legitimâ; in quâ voluntarius aboletur motus, & sensus omnimodè sopiuntur. Quod si fuerint duntaxat hebetes, & ægri transacta in paroxysmo recordentur, ut Galenus aliique referunt, Catalepsis erit spuria, vergetque ad coma vigil. Hanc quoque dixere Majores Catochen, deprehensionem, detentionem, congelationem, & non-nulli habuerunt pro Lethargo. Non distinxere satis affectus soporosos. Move soporati membra; si datum situm retineant, is erit Catalepticus.

COMA duplex, somnolentum, & vigil. Prius, quod & Cataphora & Subeth Avicennæ, somnus est præternaturalis, altissimus, ex quo tamen excitatur æger vociferationibus, oculos aperit, respondet interrogatus, moxque claudit oculos & in somnum suum relabitur. Tantus somnus à levi proficiscitur infartu Emporii, quem excitatæ

in fibrillis vibrationes ad breve tempus, discutiunt. Ideòque definiendus, *morbus Organicus, in eâ cerebri angustia, cujus ratione sensus sopiuntur, nisi ab externâ causâ validâ exsuscitentur.* Rarò morbus est per se ac Idiopathicus. At coma vigil, quod & Typhomaniam vocant, gravis est ad somnum propensio, sed inutilis, cum delirio perpetuo & prostratis viribus. Æger clausis decumbit oculis, nec dormit, ad minimum enim strepitum aperit oculos, inconcinnè loquitur, corpus agitat, ac interdum, si satis foret virium, exiliret è lecto. Delirium & dejectæ vires probant utique & summam fibrillarum siccitatem, & penuriam spirituum. Unde, *morbus hic erit in intemperie siccâ cerebri & insigni spirituum imminutione.* Ab eâ definitione ipsius symptomata deducere, planum. Coma vigil sæpè febres malignas comitatur; terminatur citò & plerumque ad mortem; acutus igitur est & lethalis.

LETHARGUS, seu Veternus, est somnus præternaturalis & profundus, cum febre lentâ conjunctus, à quo æger excitatus, delirat, & rerum in vigiliâ gestarum obliviscitur. Quatuor hoc genus morbi constituunt, febris lenta, oblivio, delirium, & somnus. Hujusmodi symptomata profert sanguis salsior, serosus, præternaturam fermentescens, Emporium relaxans. Ex quo fit, ut Lethargus sit *morbus in intemperie calidâ & humidâ cerebri.* Ab intemperie, febricula. A laxatis emporii fibrillis, somnus & oblivio.

Et

Et ex oblivione, delirium. Morbus hic non est simplex, sed ex pluribus unus. In eo febris, est morbus primus. Huic succedit intemperies cerebri, quæ idcò secundus est morbus. Emporii fibræ, à sero imbutæ, angustantur, relaxantur, vibrationibus continuandis fiunt ineptæ. Hinc oblivio, & ex oblivione delirium; quod, cum peculiare sit hoc in casu, non malè dixeris *obliviosum*. Si spectatus fuerit hic morbus prout exsurgit ex intemperie ac læsâ Emporii compositione, morbi communis sortitur nomen. Is est plerùmque acutus. *Lethargici intra 7. dies moriuntur*, ait Hippocrates, *quos si evaserint, salvi sunt*. Ergò Lethargus morbus est interdum lethalis, interdum periculosus.

PHRENITIS dicitur, cum adsunt delirium perpetuum circa quævis objecta, acuta febris, & robur quoddam indomitum. Ex acutâ febre serum dissipatur, & progignuntur uberiores spiritus. Tenduntur ultramodum Emporii fibræ, ab uberiori spirituum proventu & defectu seri. Ex nimia illâ tensione, ad minimam objectorum impulsione, eadem vibrantur, idque creberrimè ac inordinatè; & hinc delirium. Et ab uberiori spirituum copiâ, robur illud ferox & atrox. Itaque Phrenitis definiatur, *morbus totius corporis in intemperie calidâ & siccâ, ex quâ memorata prodeunt symptomata*. Morbus hic acutus est, periculosus, & interdum lethalis. Sed & interdum vertitur in Coma vigil, aut lethargum.

MANIA est delirium universale, citra febrim.

Eo morbo correpti, sunt inedia, sitis, laboris, alboris, vigiliae ultra modum patientes, robusti, feroces, contumaces. Hæc viscidum sanguinem, & crassos copiososque arguunt spiritus. His præter naturam tenduntur Emporii fibræ, hæ inordinate vibrantur; hinc delirium. Fit ex eorum crassitie, ut, iis in sanguinem fluentibus, non attenuatur sanguis ad excitandam febrem. Ex spirituum copiâ & crassitie, fibrarumque tensione, corpus maniacorum patiens, & robustum, eorumque pertinacitas, impetus, ac ferocia. Quapropter mania, *morbus est in intemperie calidâ & siccâ, absque febre, sed cum universali delirio.* Is est interdum continuus, interdum suis distinctus paroxysmis, & interdum erraticus, plerumque diuturnus & contumax; vix remediis expugnatur, sed potest nihilominus criticè terminari, si criticè mute-
tur crasis sanguinis, ideoque & spirituum. Judicatur ad mortem, si Phrenitis accesserit; ad salutem verò si febres supervenerint intermittentes, aut fluxus hæmorrhoidum; in virginibus, cum erumpunt menses, antè suppressi.

MELANCHOLIA in eo à maniâ discrepat, quod circa unicum aut unum & alterum duntaxat objectum delirium sit. Sed utraque citra febrem, & in eo conveniunt. Rectâ utuntur ratione melancholici circa objecta, circa quæ non versatur eorum delirium. Hi verè sunt & fani mente, & infani. Lycantropi prorumpunt in ululatus lupinos, qui se lupos esse delirent. Cucurbitam

sibi esse caput aut nasum alii, se vitreas esse phialas, se cuniculos esse alii delirant. Furit fœmina circa res venereas, in furore uterino. Nonnulli oberrantes in ventre scarabeos persentire sibi videntur, Hydrophobi dentibus frendent ad aquæ conspectum & ab eâ furiosè refugiunt, vigilantes Sagæ certò credunt se nefariis interfuisse per noctem conventibus dum stipites in lecto fuerunt, aliique cuncti qui in suis erroribus obfirmatâ mente obdurant. Melancholici non semper mœsti ac obnubili, sed, si quis delirantium opinioni contradixerit, iracundi. Fave absconæ delirantis sententiæ cùm se Regem, Summum Pontificem, opulentum prædicat, confestim explicabit frontem, & sponsorem habebis qui te sit beaturus. Sed undè certum ac fixum illud ejus delirium? hoc vitium ex eo contrahitur, quod nonnullæ Emporii fibræ vividè susceptam alicujus objecti impressionem ita retineant, ut nequeant ab eâ, impellentibus etiam aliis objectis, dimoveri. Hæc autem hujusmodi fibrarum firmitas, ex factâ aut repentè aut sensim, obstructione aut nimia tensione. Hinc ea pertinax ejusdem objecti observatio. Reliquæ verò Emporii fibræ, liberè fluentibus per eas spiritibus, varias suscipiunt, ac veras exhibent animæ, variorum objectorum impressiones. Et hinc recta melancholici aliorum objectorum perceptio, &, præterquàm in inducto jam errore, mens sana. Proinde sic miserum illud vitium definias. *Melancholici*

lia est morbus organicus in meatu & cavitate, non totius, sed partis Emporii, ex quo nascitur, circa objectum quoddam peculiare, delirium, idque sine febre. Si diu perseveraverit hæc rationis læsio, in maniam demum deciscit; nimirum ob sensum inductam, quasi contagio, Sanis emporii fibrillis nimiam tensionem. Melancholia diuturnus est morbus, nec ut plurimum nisi cum ægro extinguitur. Nonnullos ad fatum præcipitat, Hydrophobos, lycanthropicos, rabie caninâ correptos, & vexatas furore uterino. Hic affectus is est, ut sæpius eludat opem medicam, nisi Medicus ipse factus quasi credulus deliramenti, aliud agens opus suum agat, & eliciat ab ægro, suâ solertiâ infecti fidem facti.

VERTIGO describi solet imaginatio depravata falsæ circumgyrationis objectorum, Accidentalisis est vel habitualis. Prior casu & fortuito fit, plerumque à causâ externâ; posterior fomitem habet in corpore reconditum. Simplex seu levis, & composita seu tenebricosa est. Simplex & levis dicitur, in qua naturalis objectorum color observatur, & visio perficitur absque gravi symptomate. Composita seu tenebricosa, quam sequitur visus obscuritas, corporis lapsus, cordis palpitatio, aliaque gravia symptomata. Visio fallitur in omni vertigine. Non enim circummaguntur objecta, sed videntur circummagi. Igitur repetatur hic error, non ab Emporii, sed ab organi visionis vitio. Fibrillæ nervi optici circa ejus insertionem in ocu-

lum ita tremunt in hoc affectu ; ut , commotâ primâ , secunda moveatur , dehinc tertia , & sic deinceps factô recurſu ad primam. Tremulus ille fibrarum motus plerumque procedit ex inordinato ſanguinis circuitu circa nervum opticum. Sic plurimi à gravi morbo convaleſcentes vertigine tentantur , quòd cùm diu compreſſiores remanſerint venæ jugulares dum decumbebant , hæ non potuerint ſanguinem à cerebro eâ proportionè revehere quâ ferebatur per arterias carotidas & vertebrales ad cerebrum. Ideòque definiatur vertigo , *morbùs organicus in eâ vaſorum nervi optici anguſtiâ , cujus ratione fibrilla nerveæ ita ſucceſſive vibrantur , ut objecta circumrotari videantur*. Affectus hic familiaris ſenili ætati eſt. Idiopathicus obſervatur, vel ſympathicus. *Vertigo tenebriſoſa in febre, eſt ſignum deſperatum* ex Hippo. Idiopathica verò & tenebriſoſa , quæ ſine febre ſæpius recurrit , futuram prænuntiat Epilepſiam vel Apoplexiam imminentem. Vertigo levis per ſe curatur. Habitualis ſimul & ſympathica curationem admittit , ſed morbus eſt periculofus.

DOLOR CAPITIS recens , dicitur cephalalgia , vetus autem cephalæa. Eſtque triſtis ac moleſta ſenſatio , quam præternaturalis nervoſarum capitis partium vibratio procreat. Dividitur in univerſalem & particularem , & hæc Hemicrania eſt. Item dolor capitis dividitur in internum , & externum ; in Idiopathicum , & ſympathicum ; in morboſum , & ſymptomaticum ; in continuum & intermittentem ; in periodicum , vel er-

raticum. Est quoque vel tensivus, vel pulsativus; vel perterebrans, vel frangitivus, vel gravativus, acutus vel obtusus, calidus vel frigidus. Omnis dolor est symptoma actionis læsæ, quod solutam unitatem partis sensibilis sequitur. Hic ergo dolor capitis est morbus organicus in compositione vitiatâ, nempe soluta unitatis, ex quo nervosæ capitis fibrilla ita vibrantur ut tristem ac molestum inducant sensum. Si post diuturnum capitis dolorem vertigo sine febre, tarditas vocis, & manuum stupor, superveniant, inquit Hipp. timendum est ne agrotantes fiant Apoplectici, vel Epileptici, vel Lethargici. Tunc autem tres isti affectus sunt morbi Deuteropathici, prout dolori capitis succedunt.

PARALYSIS est abolitio vel imminutio maxima sensûs & motûs, aut alterutrius duntaxat, cum affectarum partium relaxatione. Duplex admittitur; perfecta, in qua sensus & motus abolentur; & imperfecta, in qua sensus & motus notabiliter imminuuntur; vel motus læditur illæso sensu, vel sensus afficitur illibato motu. Ea rursus dividitur in particularem, quæ affectarum partium nomen plerumque retinet, & universalem, quæ vera est Apoplexia. Paralyfim universalem deviserunt majores in Paraplegiam cum afficiuntur omnes partes capiti subjectæ, & Hemiplegiam, cum dimidia tantum corporis pars à summo ad imum resolvitur. In omni Paralyfi fibrillæ nervæ à seroso latice ita laxantur, ut vel vibrari nequeant à parte resolutâ ad

Emporium, unde privatio sensûs; vel constringi nequeant in musculis, unde motûs cessatio. Cum singulæ totius nervi fibrillæ laxantur & in trunco & in musculis, tunc est Paralyfis perfecta. Cum laxantur in trunco & tenduntur in musculis, motus perficitur, sensus perit. Cum è contra laxantur in musculis & tenduntur in trunco, perit motus & sensus remanet. Hinc Paralyfis definienda, *intemperies humida nervorum, sive eorumdem laxitas & resolutio, ex quâ pereunt, aut saltem imminuuntur, simul sensus & motus, aut illorum duntaxat alteruter.* Paralyfis parricularis sæpe præfagit universalem. Linguae resolutio Apoplexiam portendit. Apoplexiæ interdum succedit Paralyfis Deuteropathica, & hæc plerumque contumax est, nec unquam proficiscitur ex imminuto vel abolito spirituum animalium influxu.

TREMOR definiente Fernelio, motus est depravatus, membrum præter voluntatem concutiens. Cui manus tremuerit, is non poterit manum inter scribendum regere, nec inter cibos ori ingerendos. Prorsus est in tremore lucta re-regentem inter & membri pondus. Senes tremunt ob ariditatem fibrarum carnosarum. Eodem pacto, qui à gravi morbo convalescunt. Ebriosi, ex frequentiori ac nimis largo vini & aquarum ardentium potu; hinc enim fatiscunt fibræ musculares. Infantes verò non regunt membra sua, quòd totum eorum corpus mollius sit & laxius, sed hoc, vitium in eis non est, fiunt enim prout adolescunt firmiores. Vitium est, in irâ perci-

tis, in metu percussis, ob inordinate fluentes in musculos spiritus. Omnino, morbus hic à musculis repetendus. Itaque tremor *est symptoma in imminutâ musculorum actione, ratione cujus non potest quis membra suspensa regere, & immota, cum voluerit, retinere.* Is affectus est plerumque diuturnus. Senes ad obitum comitatur. In juventute sæpè præcedit Paralyfim. Periculosus per se non est.

MORBUS CONVULSIVUS vulgò distinguitur in Spasmm seu convulsiónem, & motum Spasmodicum seu convulsivum. In Spasmo, membrum remanet immotum, rigidum, inflexile, quòd obstinate contrahatur. In motu Spasmodico, vehementer agitur & obnixè. Convulsio, pro ut & Spasmm & motum Spasmodicum complectitur, hanc obtinebit definitionem; *est symptoma in actione depravatâ musculorum, qui contrahuntur ita, ut aut membrum maneat immotum, rigidum, & inflexile, aut agitetur obnixè ac vehementer.* Propriè dicta convulsio, universalis est aut particularis. Prior triplex sortitur nomen. Tetanos est, cum musculi corpus flectentes & extendentes sunt omnes simul in contractione. Emprostotonos, cum ij solum, qui flectunt corpus ad partes anteriores; & Opistotonos, cum ij duntaxat contrahuntur musculi, qui ad partem posticam truncum retrahunt. Convulsio particularis, plerumque ab affectâ parte nomen sibi mutuatur. Motus verò convulsivi denominantur vel à partibus affectis, vel ab aliis morbis

bis quorum sunt soboles. Hinc motus Hysterici, Hypochondriaci, Scorbutici, Epileptici. Ut plurimum periculosus est omnis morbus convulsivus, ac præsertim si fuerit universalis, si cum notabili functionum læsione. Interdum acutus & lethalis est. *Qui Tetano corripuntur, ait hipp. intra 7. dies pereunt, quos si evaserint salvi sunt.* Idiopathicus est citra febrim, aut sympathicus & ex febre. *Febrem convulsioni supervenire melius, quàm feбри convulsionem, eodem Auctore.* Item, *si Spasmo febris accesserit morbum solvit.*

HYDROCEPHALOS, qui & hydrops capitis, fit ex serosâ colluvie vel totum caput vel insignem ejus partem invadente. Is erit externus, si diffusum fuerit serum cutem inter & pericranium aut pericranium inter & cranium. Internus, si cranium inter & meninges, aut meninges inter & cerebri substantiam. Et nuncupabitur universalis, cum simul & internus & externus fuerit. Serum autem restagnat, vel quòd hæreat in suis vasis prætermodum laxatis, vel quòd extra vasa sua diffusus aliorum vasorum obsideat interstitia. In utroque autem casu, vasorum pori sunt ultra modum dilatati. Quo circà definiendus Hydrocephalos, *Morbus Organicus in dilatatione meatuum, serosorum ductuum capitis, ex quâ fit ut serum exundet, hæreatq. in capite.* Morbus hic pueris familiaris est. Interdum adventitius, congenitus interdum. Externus rarò curatur, unde periculosus. Internus lethalis est, quòd nunquam curetur. Universalis naturam obruit.

J A M de morbis Thoracis differendum. Inter hos, Catharrum, Anginam, & Incubum contra Majorum sententiam ideò retulimus, quòd fuerit nostris temporibus exquisitiùs explorata humani corporis œconomia. Thorax à Claviculis extenditur ad Cartilagine[m] xiphoidcam; his sternum interjacet; vertebræ dorsi posticam ejus partem definiunt, infimam Diaphragma; illudque costæ circumsepiunt, quæ singulæ suis instruuntur musculis, Thoracicis nomine. Intra cavum Thoracis sunt Pulmo & Cor. Partes pulmonis, dextra & sinistra, dirimuntur septo, quòd ab Sterno ad vertebra[s] obtenditur. Idemque septum in saccum, inter ambos pulmonis lobos, diducitur, & intra hunc saccum est sedes cordis. Saccus ille Pericardium dicitur. Pulmo, machina pneumatica, gutturi per Trachæam appenditur. Cùm dilatatur Thorax, aër externus irruit per os & Trachæam in Bronchia, & à Bronchiis in vesiculas pulmonares. Hæc aëris externi admissio, inspiratio est. Expiratio verò, cùm ex contracto thorace, aër ante admissus expellitur. Et respiratio ex his alternatim factis resultat. Hæc à natalibus fovet sanguinis circuitum. Eâque prorsus intercidente, intercidit vita. Itidem Cor, viscus musculosum, alternatim accipit sanguinem & expellit. Cùm dilatatur accipit, & cum constringitur, in universum corpus diffundit. Duplex ille cordis motus est Diastole ac Systole. Cùm præter naturæ modum angustantur, trachæa principium, trachæa ipsa, musculi pectōis

rales, pulmo, cor, tunc præcipui gignuntur interni morbi Thoracis. De his jam sermo.

CATHARRUS defluxum sonat, sumiturque in genere apud Priscos pro quovis materiæ peccantis, à parte in partem, fluxu. Specialiter verò pro pituitæ defluxu à cerebro in subjectas partes. Defluxus ille pituitæ factus ad nares, coryzæ nomen obtinuit; ad fauces, Bronchi; ad pectus, Rheumatis, & interdum Catharri suffocantis. Sed pituitam è cerebro non defluere ostendunt præclusæ à cerebro in partes subjectas viæ, nec id perpetuo humorum circuitui potest accommodari. Deducendus ergò defluxus ille ferofus, non à capite, sed ab ipso sanguinis lacu. Exundans mucus narium, facit coryzam Humor Bronchialis, raucedinem & Rheuma. Graves fiunt, principio Catharri, partes, ubi serum colligitur, imò & partes adjacentes & caput. Dehinc excitatis in elaterem distentis vasis, serum ejicitur, &, subsidente gravedine, maturescit Catharrus. Is propterea definiatur, *morbus Organicus, in eâ meatuum angustia, quæ fit à repentino defluxu seri.* Quæ maturescente Catharro febres accidunt, appellantur Catharrales. Hinc febris Rheumatica. Coryza est, auctore Celso, morbus plerumque levis; Raucedo, peior; Rheuma, pessimus. *Et raucedines gravedinesque in valde senibus non admittunt*, ex Hipp. *coctionem.* Pulmonum Catharrus tunc dicitur suffocans, cum summam inducit respirandi difficultatem, & is plerumque lethalis est.

A N G I N A est deglutiendi simul & respirandi difficultas, ex faucium angustia. Hæc legitima vel spuria. In illâ inflammantur fauces, & plerumque febris adest. In hac abest febris, & fauces comprimuntur, à vertebrae colli luxatione, à tumore Parotidum, aut adjacentium partium aliarum. Definiendus ita hic affectus; *Est morbus Organicus, in angustia faucium, ex qua exoritur respirandi simul & deglutiendi difficultas.* Cum inflammatur basis linguæ, ea non potest solida in Oesophagum depellere; per eam magis fluunt liquida, quàm propelluntur. Si guttur fuerit penitus angustatum, & lingua sana, viam poterit lingua solidis facere, non liquidis; propulsa liquida non possunt gutturis obfistentiam vincere, sed refluunt, solida obfistendo vincunt. Angina est morbus acutus, periculosus, ac sæpè lethalis.

I N C U B U S Ephialtes, Epilepsia nocturna, Asthma nocturnum, idem sonant; significantque eam dormientium difficultatem respirandi, quæ iis vagam quandam rei plerumque horrendæ pectus comprimentis imaginem exhibet. Turbidum ex eo fit omne insomnium, quòd vibratis acriter ac inordinatè fibrillis nerveis inordinatè quoque acriterque succutiantur Emporii fibrillæ. In dormientibus, si fuerit is membrorum situs, ut ex musculis pectoris alii contrahantur nimium, alii relaxentur, sanguis æquè semper à corde immissus in contractos impinget, majori verò feretur ad laxiores copiâ,

in utrisque ingurgitabitur, perturbabiturque utrorumque motus, aut præpedietur. Hinc & respirationis angustia, præfocatio, & fibrillarum nervearum succussio acrior & inordinata; hinc terrificum insomnium ac timor dormientis. Hoc in casu, mutato situ, & insomnium discutitur & angustata respiratio, sensimque qui jam inordinatè fluebat per musculos thoracicos sanguis, in pacatum & æquabilem restituitur circuitum. Et hinc placida illa excitatorum & jucunda voluptas, quæ post aliquos subsultus cordis percipitur. Omnino, Incubus morbus non est, sed incommodus & gravis respirationi, dormientium decubitus; quo & saniores etiam tentari posse probat experientia. Si fugacem ex descripto decubitu morbum quis voverit dicere, non refragabimur. Isque definietur, *morbus in angustia pectoris, ex qua in dormientibus quedam quasi præfocatio, & insomnium exsurgit terrificum.* Erraticè recurrit, cum fuerit tumidior cibus ventriculus, cum decubitus fuerit incommodus respirationi, ut plurimum cum fuerit supinus, cum stragulis pectus nimis compressum fuerit. Cum frequentius inest pueris, præfagit Epilepsiam deuteropathicam. Incubus quem diurnum non nulli dixere, Epilepsia est imperfecta. Et cum apud Romanos grassatus est epidemicè, contracta fuit epidemicè ad Incubum dispositio, non morbus.

ASTHMA, five anhelatio, est respirandi difficultas, sine febre. Duplex illud, pectorale

ac pulmonare. Prioris soboles est incubus ; & causa , vitium muscutorum pectoralium. Asthma vero pulmonare oritur ex pulmonum angustia ; & , prout est stertore ac sibilo stipatum , propriè Asthma dicitur. Si abfuerint stertor & sibilus , Dyspnœæ sortitur nomen. Dyspnœa autem simplicem respirandi difficultatem sonat. Cum verò tanta est respirandi difficultas , ut quis non possit auras ducere nisi erectâ cervice , tunc audit Orthopnœa. Rursus Asthma pro variis conditionibus dicitur humorale vel convulsivum , humidum vel ficcum , continuum vel intermittens , periodicum vel erraticum , calidum vel frigidum , hæreditarium vel adventitium. Hanc ejus habet definitionem ; *Asthma est morbus in angustia Pulmonum , ex quo fit ager anhelosus , nec febre tentatur.* Affectus hic diuturnus ut plurimum & contumax , rarò perfecte curatur , nec tamen lethalis aut etiam periculosus , nisi summa adfuerit Orthopnœa & corpus fuerit cacochymum.

PERIPNEUMONIA definitur à Practicis , idque ratione symptomatum ; difficultas respirandi cum febre ardenti , gravativo pectoris dolore , tussi molestâ , & sputo cruento. Hæc pulmonum inflammationem arguunt. His infarctis difficilè ducitur spiritus ; solutis , fit dolor ; tussis & cruenta sputa , ex sero & sanguine extravasatis ; febris verò , ex nimia sanguinis in Pulmonibus collisione , resorbitisque in ejus transcurso jam infectis in pulmone myas-

matitis. Ergo huic affectui variæ debentur sub variis respectibus Pathologicæ definitiones uti jam in superiori Dissertatione monuimus. Definatur ergo, *morbis communis, ex intemperie, & vitiata Pulmonum Organisatione, unde difficultas respirandi, aliaque symptomata proximè memorata.* Peripneumonia incipiens, periculosa est; si negligatur, fit sæpè lethalis, ac præsertim si universum Pulmonem obsederit, item si parum spuatur, si epidemicè grassetur, si corpori fluxo, si aliis morbis debilitato accesserit. Interdum vertitur in Vomicam, in Phthisim, in Empyema; & ut plurimum Pleuritidi adjungitur.

PLEURITIS à Priscis dicta est, dolor lateris pungitivus, cum difficultate respirandi, ardenti febre, tussi, & sputo cruento. Sed ea definitio competit Peripneumoniæ potius quàm Pleuritidi, quæ vera est Pleuræ costas succingentis inflammatio. Hanc statuimus triplicem; legitimam, spuriam & complicatam. Legitima, est dolor lateris pungitivus cum respirandi difficultate ac febre ardenti, sed citra tussim, & sputum cruentum. Hæc Pleuritidis species, oritur ut mox dictum est, ex membranæ costas succingentis inflammatione. Spuria, est dolor pungitivus in latere, sed externus, ac sine febre, cum respiratione difficili. Hanc parit infartus musculorum intercostalium, aut externæ cutis. Pleuritis complicata, ea est quam definire Majores. In hac enim inflammantur simul & Pleura & Pulmones, unde ipsi vulgò nomen

Pleuro - peripneumonia. Pathologicè Pleuritis legitima, esto *morbis communis in intemperie, ac organisatione vitiata Pleuræ, cujus symptomata sunt dolor lateris pungitivus, difficultas respirandi, ac febris.* Morbus hic acutus est, ac periculosus, & qui procreat interdum aut Empyema aut Hydropem pectoris. Pleuritis spuria morbus est levis, & fugax. Complicata, & morbus magnus est, & major quàm Peripneumonia simplex.

HÆMOPTYSIS hîc propriè sumitur pro expectoratione sanguinis, citrà febrem. Si sanguis fuerit extra vasa diffusus in Trachææ fistulam, in ductus Bronchiales, in Pulmonis vesiculas, necessariò prætervecto permiscebitur aëri, & expiratione rejicietur, plerumque cum tussiculâ, aliquando citrà tussim, idque pro varia effusi sanguinis quantitate, & Laryngis exquisitiore vel obtusiore sensu. Cum verò sanguis majori copiâ, & celeritate effunditur, quàm ut possit subito expectorari, fit difficultas respirandi, pectus leviter dolet, tussis excitatur. Si sanguis quâ proportionem effunditur, subito expectoretur totus, tunc sola expectorati sanguinis inspectio morbum ostendit. Hæmoptysis ergo definiatur, *morbis Organicus in solutâ unitate vasorum sanguiferorum, quibus interna Pulmonum cavitates contextuntur; unde fit, ut effusus sanguis cum aëre expirato rejiciatur, idque sine febre.* Dividitur Hæmoptysis, in Idiopathicam, & Sympathicam. Hæc mensium suppressioni periodicè supervenit

pervenit, illa erraticè recurrit. *Ex sanguinis sputo, puris sputum*, inquit hipp. Scilicet quòd hic affectus ut plurimum post se relinquat Deuteropathicam Phthisim, aut Pulmonum Vomica.

P H T H I S I S pulmonaris, sive tabes, vel atrophia, hìc strictè sumitur pro eâ totius corporis consumptione colliquativâ, quæ jungitur cum tussi, sputo purulento, & febre lentâ. Et hinc definiatur Phthisis, *morbis organicus in eâ solutâ unitate Pulmonum*, quæ dicitur rosio, unde oriuntur colliquativa totius corporis consumptio, tussis, puris sputa, & lenta febris. Hic affectus distinguitur in incipientem, confirmatum, & inveteratum. Estque hæreditarius vel adventitius, Deuteropathicus, Epidemicus. Phthisis incipiens curationem admittit; confirmata periculosa est; inveterata, lethalis. Adventitia curatur interdum, præsertim si fuerit Deuteropathica, ex prægressâ Peripneumoniâ, vel vomicâ pulmonum. Hæreditaria plerumque lethalis. Epidemica non nisi aëris mutatione domatur. Phthisis omnis potest esse contagiosa, in subjecto disposito.

V O M I C A Pulmonum, est abscessus in Pulmonibus sensim genitus, propriâ conclusus cystide. Quandiù abscessus est nec rumpitur, nulla percipitur functionum læsio. Post ejus disruptionem morbus est, cujus symptomata vel sputa purulenta sine febre, vel similia sputa cum febre lentâ, ac marcore, vel Empyema, ex quo laboriosa respiratio. Est igitur Vomica, *morbis Organicus in solutâ unitate pulmonaris*

abscessus, ex qua fit, ut vel ejiciatur pus per sputa, vel in pectoris cavum effundatur, vel utrumque simul contingat. Rejicitur pus vel absque Pulmonum exulceratione, tuncque febris non supervenit; vel cum exulceratione Pulmonum, & febrem lentam tunc accersiri, inducique Phthisim necessum est. Vel partim rejicitur pus, partimque in thoracis cavum ex Pulmonum erosione refunditur, tuncque jungitur Vomica cum Phthisi pulmonari, & Empyemate. Ea potest Peripneumoniæ supervenire, malè curatæ; & tunc erit Deuteropathica. Eadem pro puris quantitate, ac qualitate acuta vel chronica, periculosa vel lethalis.

EMPYEMA hic speciatim sumitur, pro collectione factâ in thoracis cavo aut puris, aut sanguinis extra vasa sua diffusi. Et exhinc laboriosa respiratio. Nulla est extravasatio, quæ morbus non sit in humorum situ, quæque non sit solutæ vasorum unitatis symptoma. Ideòque definitur Empyema, *morbis Organicus, in eâ solutione continui, ex qua fit puris, aut sanguinis collectio in cavitate thoracis.* Vel Empyema incipiens est, vel inveteratum; item sanguineum, vel purulentum. Incipiens & sanguineum curabile; inveteratum, periculosum semper est. Purulentum verò, cum febre lentâ, & marcore junctum, lethale. Idem de eo dicatur quod cum Phthisi complicatur. Cum prodiit ex inflicto vulnere, adventitium est. Cum succedit Vomica, Pleuritidi, Peripneumoniæ, Deuteropathicum.

PALPITATIO, five subsultus cordis vehementer ferientis, debili & parvo stipatur arteriarum pulsu. Ideò palpitat cor, quod contentum sanguinem ad arterias profundere frustra conatur. Conus subsilientis cordis, dum ad firmam ejus basim tendit cum impetu, si feratur extrorsum, costas ferit; si introsum cartilaginem xiphoideam. Sæpe hic affectus sequitur periodicum pulmonis infartum in Asthmate, in Peripneumoniâ, in pallidis virginum coloribus, & affectione Hypochondriacâ. Affligit continenter, cum hæret sanguis concretus seu Polypus in cordis thalamis, cum ossificantur illius valvulæ, arteriæ coronales, aortæ principium, & pulmonaris arteriæ. Si religetur in cane vivo prope cor aorta, palpitabit cor. Quibus de causis dicatur Palpitatio cordis, *morbis Organicus, in eâ vasorum cordis, vel cordi adjacentium angustia, ex qua cor vehementer subsilit, cum parvo ac debili arteriarum pulsu.* Idiopathica est, cum fit à sanguine in auriculis, in cordis sinubus concreto, cum fit ab ossificatione valvularum, aortæ, arteriæ pulmonaris. Secundaria verò vel Symptomatica, prout supervenit Asthmati, Peripneumonix, aliisque morbis. Idiopathica plerumque chronicus est morbus. Symptomatica sequitur prognôsim morbi cujus est symptoma. Intermittens curationem admittit, continua incurabilis est, ac plerumque desinit in Syncopen lethalem.

SYNCOPE describitur, præceptis virium lapsus, cum omnium functionum, & præsertim

pulsûs cessatione. In syncope sufflaminatur cordis motus, vix secernuntur spiritus, & hinc tanta functionum interceptio, ut pallidus, frigidus, laxus, & immotus æger solâ debili respiratione distinguatur à mortuo. Parùm admodum contrahitur in Syncope musculofum cor, quia motrices illius fibræ notabiliter infarciuntur, vel sanguine, vel lymphâ, Definatur ergo Syncope, *morbis Organicus, in eâ fibrarum cordis angustia, ex quâ. Sufflaminato cordis motu, fit præceps virium lapsus cum interceptione functionum animalium, ac præsertim pulsûs.* Nondum facta syncope, sed incipiens, Leipothymia dicitur. Facta, mortis imago est. Distinguitur in accidentalem, Idiopathicam, & Symptomaticam. Accidentalis fit ab omni pathemate fortiori, ab inspirato ingrato flatu, & similibus. Idiopathica causam habet in corde latentem, & plerumque sequitur continuam cordis palpitationem. Sympathica, fit ex dolore partium nervosarum, & maximè ventriculi, unde fortis Cardialgia, parit syncopem. Symptomatica aliis morbis accedit, ut febribus malignis & pestilentibus. Morborum omnium hic est acutissimus, ideòq. citissimè terminatur vel ad salutem vel ad mortem. Adventitia facilè curatur; Sympathica periculosa est; Idiopathica, lethalis.

*Sic referuntur ad Pathologiam interni morbi
capitis ac Thoracis.*